

APPENDIX

AD SERIEM XII. FUNGORUM VENETORUM

ADDITIS FUNGIS PAUCIS INSUBRICIS

(Conferatur pag. 241)

311. **Agaricus** (*Clitopilus*) **angustus** Per. Syn. 345., Fr. Icon. select. t. 96 fig. 3. — In sylva *Cansiglio* inter folia putrida, Oct. 1875. — Pileus amœne cæσιο-æru-ginosus, viscidulus ita ut fragmenta varia illo facile adhæreant; stipes basi filis mycelicis albis sæpe vestitus; sporæ ovoideæ, 7-8 = 5, 1-guttulatæ, sordide roseæ.
312. **Polyporus fomentarius** (L.) Fr., Sacc. M. V. n.º 14. 15. Huc spectat *P. Inzengæ* Ces. DNtrs, Inz. Fungi Sic. 17 t. II. fig. 1, Fr. Hymen. pag. 557, sed notandum est characteres quibus ill. Fries hanc speciem ut distinctam admisit, inconstantes esse, nam zona obscurior, hymenium a pileo limitans, sæpissime deest (Vid. Erb. critt. Ser. II. n.º 977) et contextus hymeniumque vere fulvo-ferruginea sunt, ut *Polyp. fomentarii*, neque subumbrina. Pileus revera in *P. Inzengæ* sæpius lacteus est, qui e fuligineo canescens describitur in *P. fomentario*: sed *P. Inzengæ* exemplaria aunosiora permulta vidi quæ pileum fusco-cinerascentem ostendebant, exacte ut Bull. Champ. pl. 491 fig. II. F. quæ citatur ad *P. fomentarium*. Habeo insuper ex Austria *P. Inzengæ* exemplaria sub nomine *P. fomentarii*. An ergo *P. Inzengæ* status junior v. mera varietas *P. fomentarii*?
313. **Ceratitium laceratum** (DC.) Rabh. *C. **Chamæmespili** (Schleich.) *Æcidium Chamæmespili* Schleich. Cfr. DC. Fl. Fr. VI. 98. — In pagina inferiore foliorum *Mespili Chamæmespili* in Monte *Grappa* (A. Rossi). — Tuberculis compactis, subglobosis, rufescen-

- tibus 2-4-aggregatis, pseudoperidiis brevibus, griseis, ore minute fimbriatis distinguitur.
314. **Puccinia helvetica** Schröt. In pag. inferiore foliorum *Asperulæ taurinæ* in *M. Generoso*, aut. 1880 (PENZIG).
315. **Melampsora Epilobii** (Pers.) Fuck. Symb. Myc. 44. In foliis *Epilobii Dodonæi*, *Intra al lago Maggiore*, Sept. 1880 (PENZIG).
316. **Physalospora montana** Sacc. Peritheciis laxiuscule et seriatim gregariis, globoso-lenticularibus innatis, denique vix erumpentibus, $\frac{1}{6}$ mill. d., ostiolo brevissimo obtuse conoideo; contextu laxiuscule celluloso fuligineo; ascis oblongo-clavatis, 50-60 = 12-14, breve stipitatis, apice rotundatis, paraphysibus bacillaribus ascis longioribus guttulatis obvallatis, octosporis; sporidiis distichis, ovoideo-fusoideis, 15-18 = 6, quandoque inæquilateralibus, nubiloso-guttulatis, hyalinis. — In foliis exsiccatis *Sesleriaë cœruleæ* in *M. Generoso*, aut. 1880 (PENZIG).
317. **Nummularia discreta** (Schw.) Tul., Nitschke Pyr. p. 60. — In ramis crassioribus corticatis *Ulmi*, in Horto *Pacchierotti, Padova*, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — Asci cylindranei 130-150 = 12-14, octospori, paraphysati; sporidia globoso-ellipsoidea, utrinque obtuse rotundata, 15-18 = 12, atrofuliginea.
318. **Diaporthe** (Sclerostroma) **crassiuscula** Sacc. & Bizz. Acervulis hinc inde sparsis, corticulis, linea stromatica nigra usque ad lignum decurrente cinctis, peritheciis aggregatis, globulosis, nigricantibus, $\frac{1}{2}$ mill. d., ostiolis subconvergentibus, erumpentibus, apice leniter incrassatis obtusisque; ascis fusoido-clavatis, 80-84 = 13-15, aparaphysatis, octosporis; sporidiis distichis crasse fusoidis, 18-20 = 6-7 $\frac{1}{2}$, utrinque obtusiusculis, rectis, 1-septatis leniterque constrictis, 4-guttatis, hyalinis. — In ramis emortuis *Mahoniæ Aquifolii* in Horto Patavino, Febr. 1881. — Affinis *D. detrusæ* a qua stromate cinereo nec flavo, ascis sporidiisque multo crassioribus statim dignoscitur.
319. **Lophodermium melaleucum** (Fr.) DNtr. Ister.

p. 40. In pag. inferiore foliorum *Vaccinii* *Vitis* *idææ* in sylva *Cansiglio*.

320. **Helotium triste** Sacc. Ascomatibus gregariis, scutellatis, ubique nigricantibus, glabris, solidiusculis, stipitatis, disco concaviusculo $\frac{1}{2}$ mill. d., stipite cylindraceo $\frac{1}{3}$ mill. alto; contextu excipuli anguste prosenchymatico, castaneo, margine saturatiore; ascis tereti-fusoideis, breve stipitatis, apice obtusiusculis, 100–110 \approx 12–14, paraphysibus bacillaribus hyalinis, exterioribus vero granulato-virescentibus obvallatis, octosporis; sporidiis distichis, crassiusculis, fusoides, sæpe leniter curvis, utrinque acutis, 20–22 \approx 4–5, crasse 1–2-guttatis, hyalinis. — In stipitibus *Aspidii Filicis maris emortuis* in *M. Generoso*, aut, 1880 (PENZIG). — Affine, ut videtur, *Pezizæ pteridicolæ* Crouan Finist. 50, sed satis differt colore nigricante, nec griseo-virente, sporidiis fusoides nec subcylindricis &c.
321. **Cryptodiscus rhopaloides** Sacc. Ascomatibus laxè gregariis, cortice infossis et tectis, disciformibus, $\frac{1}{3}$ – $\frac{1}{2}$ mill. d., plano-concaviusculis, sub-immarginatis, carnosulis, totis aquose ochraceis, denique cortice erupto cinctis, sed numquam emergentibus, excipuli contextu tenui, prosenchymatico, subochraceo; ascis tereti-clavatis brevissime stipitatis, 80 \approx 14–15, apice obtusiusculis, paraphysibus copiosissimis filiformibus, sæpe ramosis arcte obvallatis, octosporis; sporidiis distichis elongato-clavatis, 30–35 \approx 5, deorsum sensim attenuatis, rectis curvulisve, 6–8-septatis nucleatisque, hyalinis. — In sarmentis corticatis *Vitis viniferæ* emortuis, *Padova*, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — Præcipue ob sporidiorum formam perfecte clavatam mox distinguenda species.
322. **Fusicoccum Æsculi** Corda, Mich. II. 99.
323. **Fusicoccum ornellum** Sacc. Mich. II. 99.
324. **Diplodia Ribis** Sacc. Mich. I. 518.
325. **Phoma agminalis** Sacc. Peritheciis hinc inde dense et late gregariis, subsuperficialibus, punctiformibus, globoso-conicis, 90–100 micr. d., pertusis, atro-nitidulis; spermatis ellipsoideis, utrinque obtusis, 3 \times 2, biguttu-

latis, hyalinis. — In ligno indurato *Æsculi Hippocastani*, *Padova*, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — A *Ph. Pulviscula* Sacc. differt spermatiis ellipsoideis, a *Ph. fuscidula* Sacc. spermatiis pariter ellipsoideis et hyalinis. — *Zignoellæ* cujusdam probabile spermogonium.

326. **Phoma rimicola** Sacc. Peritheciis longitudinaliter dense aggregatis, e corticis rimis erumpentibus, globosis, papillatis, $\frac{1}{2}$ mill. d., nigris intus pallidis; contextu parenchymatico solido, fuligineo; spermatiis oblongo-fusoideis, $18-21 \approx 4\frac{1}{2}-6\frac{1}{2}$, utrinque acutiusculis, varie guttulatis nubilosisque, hyalinis, basidiis bacillaribus dense fasciculatis $20 \approx 2$ suffultis. — In rimis ramorum corticatorum *Vitis viniferæ*, *Padova*, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — A ceteris *Phomæ* et *Sphærospidis* speciebus in Thuem. «Pilz. d. Weinst.» descriptis spermatiis multo majoribus dignoscenda.
327. **Phoma** (*Dendrophoma*) **pleurospora** Sacc. Mich. II. 362.
328. **Phoma** (*Diaporthe*) **importata** (Nitschke) Sacc. Peritheciis laxè gregariis, subcutaneis, vix erumpentibus, depresso-globosis, $\frac{1}{3}$ mill. diam., vix papillatis, griseo-nigris; spermatiis tereti-fusoideis, utrinque obtusiusculis, $7-8 \approx 2\frac{1}{2}-3$, biguttulatis, hyalinis, basidiis fasciculatis acicularibus, $18-20 \approx 2$ suffultis. — In caulibus *Lycii sinensis* emortuis in Horto Patavino, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — Certe *Diaporthe* (*Tetragon*) *importatæ* Nitschke Pyr. Germ. 315 spermogonium.
329. **Septoria ocellata** (Lév.?) Sacc. *Sphærospis ocellata* Lév.? Ann. Scienc. nat. 1846 V. 297. In foliis emortuis *Quercus pedunculatæ*, in *M. Generoso*, aut. 1880 (PENZIG). — Perithecia gregaria, globoso-lenticularia, 150 micr. d., pertusa, laxè celluloso-contexta, fuliginea; spermatia fasciculata, tereti-fusoidea, curvula $20-25 \approx 3$, utrinque obtusiuscula, continua, hyalina sed coacervata dilutissime olivacea.
330. **Leptothyrium protuberans** (Lév.) Sacc. Michel. II. 351. — In caulibus *Helianthem*i pulveru-

lenti emortuis in Horto Patavino, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — Spermatia botuloidea, curvula, 6-7 • 1½, hyalina.

331. *Steganosporium pyriforme* (Hoffm.) Corda, Michel. II. 121. — In cortice *Aceris Pseudoplatani*, Padova, Febr. 1881 (BIZZOZERO).

332. *Glæosporium nervisequum* Fuck. **valsoideum*: acervulis erumpentibus, rufo-lutescentibus, epidermide lacerata cinctis, ¾-1 mill. diam., disco ruguloso; conidiis copiosissimis, ovoideis, vel oblongo-ovoides, 11-13 ≈ 4, nubiosis, hyalinis; basidiis fasciculatis deorsum incrassatis, 18-20 ≈ 4, æque nubiosis, hyalinis suffultis. — In ramulis junioribus *Platani occidentalis* in Horto Patavino, Febr. 1881 (BIZZOZERO). — A *Gl. nervisequo* acervulis multo majoribus, habituque valsoideo mox distinguendum; characteribus internis tamen proxime cognatum. — *Myxosporium carneum* (Lib.) Thüm. Hedw. 1880 p. 199. Lib. herb. n.º 882 (in Fago, ut mihi videtur, nec in Corylo) sistit fere formam evolutiorem subspeciei præsentis, utramque vero coadunare non potui.

MYXOSPORELLA Sacc. nov. gen. Acervuli subcutanei, vix erumpentes, subgelatinosi, perithecio carentes, læte colorati; conidia ovata v. oblonga, continua, diaphana, in catenulas digesta, basidiisque teretiusculis suffulta. — Est quasi *Myxosporium*, conidiis vero catenulatis, nec solitariis.

333. *Myxosporiella miniata* Sacc. Acervulis subcircularibus convexiusculis, ¾ mill. diam., amœne miniatis; conidiis ellipsoideis, utrinque rotundatis 16-20 ≈ 10-12, è roseo hyalinis eguttulatis in catenulas breves sat persistenter connexis, basidiis teretiusculis, simplicibus furcatisve, parce septatis, 20-40 ≈ 5-7, subroseis suffultis. — In ramulis corticatis *Platani occidentalis* in Horto Patavino, Febr. 1881 (BIZZOZERO).

334. *Sirodesmium antiquum* Sacc. Mich. II. 362.

335. *Ramularia Hellebori* Fuck. Symb. mycol. 361. In foliis *Hellebori viridis* languidis in *M. Genoso*, aut. 1880 (PENZIG). — Maculæ foliorum subcir-

- culares, amphigenæ, candidæ, nigro-marginatæ. Hyphæ fasciculatæ, nodulosæ, continuæ, 20×3 , candidæ; conidia fusioidea, $24-30 \times 4-5$, continua v. medio 1-septata, hyalina.
336. **Ramularia oreophila** Sacc. Maculis angulosis, amphigenis, ochraceo-fuscis, denique centro expallentibus; hyphis fasciculatis filiformibus, flexuoso-nodulosis, rarius parce ramulosis, continuis, $50-60 \times 5$, hyalinis; conidiis cylindraceo-fusioideis, utrinque rotundatis, $30-34 \times 5-6$, continuis vel uniseptatis, hyalinis. — In foliis languidis *Astrantia* majoris in *M. Generoso*, aut. 1880 (PENZIG).
337. **Verticillium stilboideum** Sacc. Laxe gregarium, subpersistens, setuliforme, griseum; hyphis fertilibus ex filamentis mycelicis repentibus parvis assurgentibus, filiformibus, $\frac{3}{4}$ mill. altis, septatis dilute ochraceis, sursum pallidioribus, apice dense repetito-verticillato-ramosis, ramulis sursum attenuatis; conidiis oblongis, utrinque rotundatis, $6-7 \times 3$, biguttulatis hyalinis, in sicco cum ramulis conglutinatis, capitulumque oblongum albedo-griseum (stilbiforme) efformantibus. — In fragmentis ligneis putrescentibus in *M. Generoso*, aut. 1880 (PENZIG).
338. **Sclerotium compactum** DC. Fl. Fr. VI. 112. — In interiore Cucurbitæ *Melopeponis* udæ et putridæ, ubi confluendo stratum colliculosum vel subreticulatum extus nigricans, intus sordide albidum format; *Padova*, Febr. 1881 (BIZZOZERO).
339. **Asteroma frigidum** Sacc. Mich. II. 369.

OBSERVATIO DE ZYGODESMIS

Zygodessium fuscum Corda et *Z. violaceo-fuscum* Sacc. attulit cl. PENZIG e *M. Generoso* (primum in Polyporo putri, alterum in ligno corrupto). In utroque hyphas unilateraliter nodulosas ibique refracto-septatas observavi, prætereaque ad hypharum apices vidi basidia genuina, clavata, nec non sterigmata quaterna

sporas sphaericas aculeolatas exerentia. Ut liquide patet fabrica hæc fructificationis cum Hymenomycetibus congruit, dum habitus et hyphæ discretæ byssinæ cum Hyphomycetibus conveniunt. Sed sine dubio Zygodemi essentialiter sunt Hymenomycetes ab Hypochnis vix ac ne vix separandi.

